



## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. IV. Futura contingentia non videntur in ipsorum veritate obiectiva.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

Ad fundamentum Molinæ Resp. Cognitioni divinæ & supercomprehensionem major debetur perfectio, quam cuiuscunque cognitioni creatæ & comprehensivæ tantum: perfectio tenens se ex parte actus, conc. ex parte rei cognitæ, tanquam aliquid immutans ex parte ipsius, nego.

16. Adhuc dices: In Thomistica doctrina DEUS certò videt actus liberos in voluntate ut præmota, & tamen voluntas ut præmota habet indifferentem connexionem cum suis actibus. Resp. disting. alterum membrum antec. voluntas ut præmota habet indifferentem connexionem cum suis actibus: indifferentiæ actuali & positivæ, concedo, indifferentiæ privativæ seu suspensionis, quæ dicit potentiam conjunctam cum carenti actus, nego antec. & consequentiam: voluntas enim non præmota habet connexionem indifferentem indifferentiæ etiam privativæ, à qua actus nullam habet essendi determinationem, nec proinde futuritionem.

## §. IV.

*Futura contingentia non videntur in ipso-  
rum veritate objectiva.*

Communior sententia Recentiorum amplectitur pro medio videndi futura contingentia, eorumdem objectivam veritatem, quæ sit obiectibilis Divino intellectui præsuppositivè ad omne decretum, quam docuit Suarez de scient. fut. conting. l. 2. c. 2. Eius fundamentum consistit in futuritionis expositione priori articulo à nobis retracta & returata.

Contra eandem est in primis autoritas S. Doct. qui exponens Aristot. l. 1. perih. c. 8. lect. 13. tantum abest, ut Philosophi doctrinam censurâ *erroris Theologo non curandi* peritineret, ut insuper suo iustragio & doctrina firmaverit, dicens: *in singularibus, quæ sunt de futuro, hoc non esse necesse, quod una sit determinate vera & altera falsa.* Idque repetit in 1. dist. 38. q. 1. a. 5. & alibi. Neque valet illa elusio, quod S. D. cum Arist. tantum loquatur de veritate determinatâ quoad nos, nullam enim aliam reddunt rationem, cur neutra ex propositionibus contradictoriis de futuro contingentibus sit determinatè vera, vel falsa, nisi quia futurum contingens non habet esse determinatum in suis causis, ita enim S. D. loquitur cit. dist. 38. q. 1. a. 5. ad 2. Præterea si futura contingentia in eorum objectivâ veritate videntur; nec videntur in Divina essentia, tanquam causa: nec scientia visionis foret causa rerum. neque ideo res essent futuræ, quia DEUS novit: certitudo quoque Divinæ scientiæ haberetur à rebus, non à se: futurum non esset id, quod determinatum in causa, &c. quæ omnia pugnare contra doctrinam S. Doct. constat ex præcedenti disp.

18. Ratio quoque contra eandem doctrinam est primò. Eo modo aliquid est verum & cognoscibile, quo modo est ens, ita nimirum, ut modus entis semper se teneat ex parte objecti (loquitur ipse Derkennis c. 7. §. 3.) hæc quippe pari semper passu procedunt: ens, verum, scibile, & secundum omnes Philosophos, cognoscibilitas est passio entis. Atqui futura contingentia non habent esse nisi in causa, in se enim actu nihil sunt, fa-

tentibus Advers. ergo etiam non in se ipsis, sed in causis (non utique indeterminatis, sed determinatis) cognoscibilitatem & veritatem objectivam, habere possunt.

Ratio est secundò. Veritas objectiva determinata futurorum contingentium præcedens omne Decretum DEI destruit omnem contingentiam, & inducit necessitatem: ergo implicat. Consequentia est Advers. Antec. prob. Ubi prædicatum ex intrinsicis principiis inest subjecto, connexio utriusque (adeoque veritas objectiva, cum per ipsam nihil aliud intelligi possit, quam connexio prædicarorum) est necessaria, v. g. in hac propositione *Petrus consentiet*, connexio futuritionis cum consensu Petri esset ex intrinsicis principiis: ergo esset connexio necessaria. Major ex eo liquet, quia quod rei non ab extrinseco, sed intrinseco convenit, ex natura rei, adeoque necessariò convenit. min. etiam patet, quia hæc veritas & connexio per Advers. oritur ex intrinsecâ determinatione futurorum secundum dicta n. 1.

Accedit primò. Quòd veritas præcedens omne signum libertatis est necessaria; sed veritas objectiva futurorum contingentium præcederet omne signum libertatis, quia præcederet signum libertatis Divinæ, quæ per essentiam est primum liberum omnis alterius liberi fons & causa.

Accedit secundò. Quòd veritas objectiva esset fundata in principiis intrinsecè necessariis, quæ cognoscuntur à DEO per scientiam necessariam simplicis intelligentiæ, nempe quòd *ex duabus propositionibus contradictoriis altera debet esse vera, altera falsa: quòd quodlibet est, aut non est.* quæ sunt propositiones æternæ veritatis: ergo & ipsa veritas objectiva esset simpliciter necessaria.

Respondebis primò. Illam necessitatem non esse absolutam, sed ex suppositione liberæ determinationis faciendæ à causa contingenti & libera. E. g. hujus propositionis (*Petrus consentiet*) veritas objectiva non est necessaria, nisi ex suppositione liberæ determinationis, quâ se Petrus ipse determinabit ad consensum; adeoque non est necessitas antecedens, sed consequens.

Sed contra datam responsum est primò: quòd hinc sequeretur, veritatem objectivam hujus propositionis non haberi propter intrinsecam determinationem objecti, sed extrinsecam à causa, quod est contra hypothesein Advers. Contra est secundò. Quòd hæc ipsa determinatio libera est quid futurum contingens, & de ea similiter possunt fieri contradictoriæ propositiones, *vel Petrus liberè se determinabit ad consensum, vel non se liberè determinabit.* Vel ergo, quòd se liberè determinabit, est determinatè verum intrinsecâ determinatione, vel non est determinatè verum intrinsecâ determinatione. Si non; habemus intentum: si est; redit eadem difficultas, quomodo non sit necessaria connexio inter futuritionem & determinationem Petri.

Respondebis secundò. Hujus objectivæ veritatis determinationem ac necessitatem ideo non præjudicare libertati, quia tantum est necessitas ex suppositione, quòd eventus contingens aliquando erit; vel absolute, si est absolute futurus; vel conditionatè, si est conditionatè futurus. Ex

eo enim, quòd ista propositio de inesse, *Petrus consentit*, habebit aliquando suam determinatam veritatem, etiam ista propositio, *Petrus consentiet*, quæ per alteram regulatur, habet suam determinatam veritatem.

Sed contra est primò. Illa ipsa propositio contingens de inesse, ideo habet veritatem intrinsicè determinatam, quia ejus objectum in se ipso est positum extra causas: ergo ex opposito propositio de futuro contingenti non habet determinatam veritatem, quia ejus objectum non est in se ipso positum extra causas.

Contra est secundò. Ipsamet existentia objecti contingentis, ut de præsentis posita extra causas, dependet à libero & absoluto decreto DEL tanquam causa prima: ergo etiam futuritio objecti contingentis, quæ per illam existentiam regulatur, dependet à decreto DEL: ergo impossibile est, ut sit determinatè futurum in priori pro decreto DEL.

Contra est tertio. Futurum dicitur per habitudinem ad esse, quod aliquando habebit de præsentis; atqui antecedenter ad omnem determinationem causæ essentia rei contingentis non dicitur habitudinem ad illud esse, quia habitudo, quam essentia dicit independentem ab omni extrinseco, est ipsi intrinsicè & essentialis, (ut n. 3. observavimus) ergo si qua essentia contingens, antecedenter ad omnem extrinsecam determinationem diceret habitudinem ad esse aliquando habendum, ea ipsa habitudo foret ipsi essentialis & necessaria.

Contra est quarto. Sequeretur rem priùs esse futuram, quam sit possibilis, quod est absurdum. Sequelam probò. Pro omni illo signo propositio de futuro habet determinatam veritatem, pro quo est conformis cum propositione de inesse, sed pro signo etiam possibilitatis rerum, imò pro signo antecedente possibilitatem propositio est conformis objecto, semper enim verum erit, ut in tempore subsequente aliquando ponatur ipsius objectum: ergo etiam ante signum possibilitatis haberetur determinata rerum futuritio.

Unde contra est quinto. Quòd hæc suppositio eventus futuri sit mera petitio principii, cum eadem sit difficultas, quo modo in signo antecedente decretum aliquid ut futurum supponi possit, quam cur sit futurum?

22. Ratio ulterior contra objectivam veritatem contingentium est tertio. Quòd si in signo antecedente decretum daretur illa determinata veritas contingentium, non subessent liberæ dispositioni Divinæ; consequens est absurdum & repugnans independentissimo dominio DEL, & rationi causæ primæ: ergo. Sequela prob. De illo non datur libera dispositio DEL, quod non est intrinsicè indifferens ad non esse; sed futura contingentia in signo antecedente decretum non essent intrinsicè indifferenta ad non esse, utpote habentia intrinsicè determinationem veritatis, adeoque & entitatis pro determinato tempore consequenda: ergo nihil relinqueretur Divino dominio, quod de illis futuris contingentibus liberè posset disponere.

23. Quarto. Possibilia nullam habent veritatem objectivam seu cognoscibilitatem, quæ non fun-

detur in ipsa essentia & potentia Divina: ergo etiam futura nullam habent veritatem objectivam, aut cognoscibilitatem non fundatam in decretis Divinis. Antec. admittitur etiam à multis Adversariis, & inde constat, quòd non minus omnipotentia, quam perfectio Divina scientiæ, ejusque certitudo penderet à rebus creatis, si creaturæ possibiles independentem ab essentia Divina essent possibiles, atque in se ipsis & objectiva sua veritate cognoscerentur; præterquam quòd modus illa in se ipsis cognoscendi sit impossibilis secundum superius dicta. Conseq. prob. uti se habet omnipotentia Divina in actu primo, & tanquam virtus causandi ad creaturas possibiles, ita se habet eadem Omnipotentia & essentia, ut in actu secundo applicata per decretum ad creaturas futuras; quia sicut possibiles nihil sunt nisi in veritate causæ, à qua extrinsecam denominationem possibilibus recipiunt; ita futuræ nihil in se sunt, sed in determinatione causæ, à qua extrinsecè futuræ denominantur, & per quam transeunt è statu possibilitatis ad statum futuritionis.

Confirm. Non minus futura sunt essentialiter ens ab alio, quam possibilia: ergo sicut possibilia in esse possibili pendunt ab essentia Divina; sic etiam futura in esse futuri & actualis dependent ab essentia Divina; sed non dependent ab illa ut antecedente decreto; sic enim non est nisi mera virtus causandi, ergo ab illa ut determinata per decretum.

## §. V.

## Resolutio questionis.

EX hæcenus præmissis & disputatis sequitur Thomistica resolutio questionis, & Conclusio. DEUS in sua essentia ut determinata per liberum decretum videt futura contingentia.

Veritas hujus assertionis deducitur ex aliarum sententiarum refutatione, & fundamentis hucusque per præcedentes §§. positis, è quibus etiam certò constare potest, hanc ipsissimam esse mentem & doctrinam S. Thomæ. Vidimus enim disp. 11. a. 4. n. 20 ex eodem S. D. DEUM non aliter videre creaturas, quam in sua essentia: sed & ipsa essentia creaturas actuales, inter quas sunt futura contingentia, haud aliter repræsentat, nisi prout est determinata per decretum liberum; cum liberam habeat duntaxat connexionem cum ipsis, ergo. Vidimus quoque ex S. D. super: disp. 12. a. 1. scientiam visionis, quæ etiam ad aliqua futura contingentia extenditur, esse causam rerum, & ideo res esse, quia novit DEUS (n. 4.) non ideo DEUM nosse; quia sunt. Vidimus hæc disp. a. 1. §. 2. futurum S. Doctore esse id, quod est determinatum in causa; sed hæc omnia supponunt intallibile decretum DEI pro signo, quo certa datur scientia futurorum contingentium. Rursus: 3. cont. gentes. c. 56. ait: *DEVS scit omnes nostras voluntates (h. e. volitiones) per hoc, quod est nobis causa volendi.* Ubi vides, quam apertè S. D. cognitioni futurorum contingentium Divina voluntatis influxum & causalitatem præ requirit.

Eandem doctrinam præter alios textus sparsim insertos & in sequentibus inferendos confirmat D. Augustinus supra cit. l. de prædestin. SS. c. 10. dicens: